



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

De rectitudine iudicij quo dictu[m] fuerat p[er] p[ro]pheta[m] Osee, quia  
no[n] addam ultra misereri domui Israhel, & domui Iuda miserebor, &  
q[uo]d domus Iuda tres habuerit reges iustos: domus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

ore eius ille populus dei liberatus est. Eatenus sicut euenerat, sic predictum fuerat per prophetam Osee. Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos in domino deo suo, & non saluabo eos in arcu & gladio & in bello & in equis & in equitibus. Denique Nabuchodonosor coram seruis dei excelsi prosterneretur, & eum solum ac uerum esse deum semel & iterum ac tertio uictus confiteretur: itaque, ut domus dei in Hierusalem, quam ille destruxerat, reedificaretur: similiterque ut Aman malitia in caput eius reuenteretur, & in patibulo quod parauerat Mardocheo ipse se appenderetur: non in arcu & gladio factum est, non in bello neque in equis & equitibus, sed in domino deo qui solus habens corda regum in manu sua, inclinauit quo uoluit: quatenus illius populi reliquiae saluarentur, & propositum eius adimpleretur. Porro ut istius bestiae ferocitas, id est regnum Graecorum, cassaretur, in eo maxime, quod scripsit rex Antiochus, & misit libros per manus nuntiorum in Hierusalem, & in omnes ciuitates Iudae, ut sequerentur leges gentium: & in arcu & in gladio, in bello factum est, attamen sicut per Danielelem predictum fuerat, auxilio paruulo. Tres fratres fuere duces bellorum, Iudas & Ionathas & Symon, & armis quidem paucis pugnauerunt, sed magna fide uicerunt. De istis latius a nobis tractatum est in opere, quod de uictoria uerbi dei scripsimus, et ideo nunc supersedendum est. Tantum enim ad praesens propositum hoc pertinuit considerare, in auxilio domini, sacramentum numeri ternarii, quia more suo fecit trinitas deus, ut auxiliando illis curam & sollicitudinem suam praesentem adesse, per hunc numerum significaret, nimirum digne pro magnitudine negotii, scilicet propter spem promissionis repositam omnibus sanctis in aduentu, qui tunc expectabatur, saluatoris Christi filii dei.

**¶** Be rectitudine iudicii quo dictum fuerat per prophetam Osee, quia non addam ultra misereri domui Israel, & domui Iuda miserebor, & quod domus Iuda tres habuerit reges iustos: domus autem Israel ne unum quidem. Cap. XIII.

**A**d causam eandem pertinet, quaerere nunc, et scire rectitudinem iudicii, in eo quod paulo ante memorauimus dictum a domino per prophetam Osee, et domui Iuda miserebor. Praemisit enim, quia non addam ultra misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, et tunc demum istud edixit. Et domui Iuda miserebor, et saluabo eos in domino deo suo, et ita factum est. Nam decem tribuum captiuitas permansit irreuocabilis, qua captiuauit rex Assyriorum, et transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Aila et in Abor, iuxta fluuium Gozam in ciuitatibus Moedorum: tribus autem Iuda praefinito tempore saluata in domino deo suo, et ita factum est. Nam de Babylonica captiuitate reuocata est. Istud ergo quod reuerentibus uel se uolentibus pro rectitudine iudicii cito responderetur, quia quauis peccauerit tribus Iuda, regnum Dauid, in multis, sicut et decem tribus, regnum Hieroboam, quas ille scidit a domo Dauid: attamen in hoc bene fuit, quod secundum saepe dictum (quo ualde delectamur) ternarii numeri sacramentum, tribus Iuda Carfam decem tribuum in iudicio superauit. Tres quippe misericordiae uiros, tres reges iustos deus iudicii dominus, in tribu Iuda inuenit, Dauid et Ezechiam et Iosiam. Nam praeter tres istos omnes peccauerunt. De regibus autem decem tribuum constat, quia omnes peccauerunt, nullusque excipi potuit, quia nullus eorum recessit a peccatis Hieroboam, id est a uitalis quos fecit Hieroboam. In tribu Iuda tres (ut iam dictum est) ab eiusmodi peccato liberi et iusti fuerunt, et de alijs nonnulli de peccato suo poenitentiam egerunt. In regibus autem decem tribuum, unus et idem fuit idolatriae cultus, dumtaxat in illis uitalis: nam cultum Baal alijs illorum deleuit, scilicet Iehu filius Nansi. Sed quantum ualuit, Baal delere, et nihilominus uitalos pro deo colere. Propterea dictum illud propheticum ualde congruit illis regibus Samaritae. Qui optimus in eis est, quasi paliurus, et qui rectus quasi spina de sepe.

**¶** Epilogus saluationum, quod a uerbo promissionis usque ad natiuitatem Christi scriptis saluatus sit populus ille, de quo oportebat nasci Christum: & hoc pertinere ad sancte trinitatis mysterium, quia singula saluationes factae sunt propter tres siue per tres uiros, qui inuenti sunt in medio eorum. Cap. XIII.

**H**oc quotiens gens illa saluata est propter tres uiros qui inuenti sunt in medio eorum, sub magno sanctae trinitatis mysterio, sicut iam saepe dictum est. Primo ubi seruiebant in Aegypto propter peccatum patrum suorum, qui uenerant Ioseph fratre suum, clamantes ad dominum, exauditi sunt propter illos patres et matres

Osee. 1.

Dani. 2. 4. 14

I. E. 1. 6. 7

Hester. 3. 8. 7.

Prouer. 12

I. Malach. 1.

Danie. 8.

Auxiliu dei, i

tribus fratribus

Osee. 1.

4. Reg. 17.

Cur tribus Iuda saluata potius est, quam decem tribus Israel

4. Reg. 10.

Miche. 7.

Gene. 37